



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus Tres spirituales

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

5. Exercitium mortificandi propriam voluntatem quàm sit vtile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

quis omnibus rebus similibus: sic prout
 sus, vt paratus sit suo solatio, & volu-
 ptate priuari, vt confoletur & roboret
 alios: vt commodis suis aliquid detra-
 hat, quo possit prouidere aliorum ino-
 piæ, vt liberalis sit in largiendo, & non
 importunus in petendo, vt aliorum le-
 psus & imperfectiones moderatè ferat,
 sicut vellet ferri suas: ac denique non
 antè aliquid tentet aut aggrediatur,
 quàm in trutina iudicij expendit, quod
 facere conueniat, ac tandem faciat, non
 quod propriæ voluntati, quæ ducit ad
 perditionem, sed quod voluntati diuina-
 næ, quæ sanctificat & saluat animas
 nostras, responderit.

CAPVT V.

*Quam utile, magnique momenti sit exer-
 citium mortificandi propriam
 voluntatem.*

Quamuis omnis mortificatio ad
 modum utilis sit, & salutaris: vt
 qua nobis conciliamus Deum,
 imitamus Christum dominum, ani-
 mamque varijs virtutum ornamentis,
 vt diximus, expolimus; tamen pro-
 priæ voluntatis mortificationi nihil
 est antefendum, siue fructum spiri-
 tualem.

tualem, siue necessitatem spectemus.
 Nam licet prauæ carnis inclinationes,
 tentationesque dæmonis & mundi
 sint fons & radix peccatorum, tamen
 nisi consensus propriæ voluntatis ac-
 cesserit, veri peccati rationem non
 habent. Quare primaria, & propria
 peccati radix, cui resecandæ mortifi-
 cationis cultellus applicandus est, est
 voluntas propria. Sic probârunt & do-
 cuerunt Patres. Cassianus enim ita lo-
 quitur: *Multis experimentis edocti Patres*
tradunt monachum, & maximè iuniores,
ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ re-
frænare posse, nisi prius mortificare per obe-
dienciam suas didicerint voluntates. Ideoq̃
pronunciant nullatenus præualere vel iram,
vel tristitiam, vel spiritum fornicationis ex-
tinguere, sed nec humilitatem cordis veram,
nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec
firmam diuturnamq̃, posse retinere concor-
diam: sed nec in cœnobio quidem diutius per-
manere eū, quin prius volūtates suas didice-
rit superare. Hæc scripsit Cassian. de ijs,
qui sunt sub aliorum obedientia. Qui
verò non sunt sub obedientia aliorum,
& tamen syncerè desiderant seruire
Deo, cordisque puritatem tueri, illi
sibi imperare debent, & propensio-
nes animi sui ad examen reuocare,
 & con-

Lib. 4. de in-
stit. c. 8.

& contraria cōtrarijs pellerē. Vt exempli causa : Venit cuiquam desiderium honorificum officium suscipiendi, palium elegans vsurpandi, adeundi publicum spectaculum, conuiuium nobile frequentandi : ilico secum expendit, sitne corpori vel anima salutare, desiderio parere; si non sit, decernit factus esse desiderio non satisfacere. In mentem incidit commemorare coram alijs res cum laude gestas vel à se, vel à maioribus, loqui eruditè de rebus sublimibus, & reconditis, vt nomen & famam aliquam apud alios colligat, & aduertens non esse necessarium, tacet. Capitur cupiditate cognoscendarum rerum nouarum ex varijs regionibus, & videns, rem esse magis curiosam, quàm vtilem, repudiat. Sentit difficultatem, si primus salutare debeat conditione inferiorem, vel à quo læsus est; si inuisendus sit homo abiectus & inops, si ægri cura habenda, si cibus sumendus cum quibusdam, qui nauseam moturi videantur, & tamen vbi collegerit se, vincens seipsum, facit. Hoc modo, qui nulli subiectus est, mortificare potest voluntatem propriam, particepsque fit omnium meritorum, ac fructuum spiritualium, quos gignit
mor

mortificatio, nec non paulatim radicitus euellit omnium peccatorum fontem, & pertingit ad perfectionē abnegationis sui tantopere à Christo in Evangelio laudatæ, vt obseruauit S. Vincentius, dum scribit: Abnegare seipsum, & Christum sequi, esse in omnibus rebus mortificare & subijcere propriam voluntatem.

In vita spir.
c. 2.

Est quidem difficile, licet salutare, mortificare carnem ieiunijs, disciplinis, alijsque asperioribus pœnitentijs, verum longè difficilior, atque etiam utilius est mortificare, etiamsi nulla corporis afflictio accedat, propriam voluntatem, vt Sanctus Gregorius animaduertit. Quid, inquit, est humana

Lib. 32. mor.

mentis angustia, quàm voluntates proprias frangere? de qua frangente veritas dicit,

c. 23.

Intrate per angustam portam. Et alibi tradit esse sublimioris meriti propriam

Lib. 6. in Reg. libras.

voluntatem submittere alienæ, quàm corpus magnis ieiunijs affligere. Con-

c. 15.

firmat hanc doctrinam S. Dorotheus, dum scribit, discipuli sui Dosithei hanc

Dorothei. ser. mon. 1.

præcipuam exercitationem fuisse, vt crebrius frangeret propriam voluntatem. Nam cum aliquid illi adferrent ad

vsu quotidianum necessarium, diligenterque & nitidè confectum, imperabat,

Q

rabat,

rabat, vt alij potius, quam sibi traderent. Si aduertebat superiorem affici ad librum, vel cultellum, quo utebatur in curandis agris, mandabat, ne amplius eo vteretur. Si quid sciscitabatur cognitione dignum, sine serio responso eum dimittebat. In his omnibus Dositheus promptè obediebat, patienterque cum silentio omnia perferebat, ac intra quinquennium ad tantam virtutis perfectionem peruenit, vt post mortem conspectus sit inter religionis illius sanctos ad magnam euectus gloriam. Mirabantur alij monachi, Dositheum tam breui tempore ad tantum virtutis fastigium conscendisse, cum tamen ob corporis debilitatem, in sustinendis ieiunijs, vigilijs, alijsq; asperitatibus longè inferior esset reliquis. Verùm rogatus de ea re, respondit, se omnem operam & studium posuisse in mortificanda iugiter propria voluntate, eaque voluntati superiorum conformanda.

O quàm ingentes opes animæ in hoc mortificationis propria voluntatis scrinio delitescunt! O quàm præsens & efficax antidotum est breui tempore magnos faciendi progressus, pacemque & tranquillitatem animi perpetuam

tuam comparandi, ac imprimis concordiam & vnionem cum omnibus? Quod idem Dorotheus in hanc sententiam exponere pergit. Si volumus, in-
 quiens, frui perfecta libertate spiritus, exerceamus nos in cohibendis proprijs cupiditatibus, auxilioque diuino nixi in veræ pietatis studio eousque proficiamus, vt rerum omnium terrenarum amorem facile exuamus, veram serenamque conscientia quietem acquiramus, tantamque in aduersis tolerandis animi fortitudinem, vt sine vlla perturbatione, libenterque de manu Dei omnia, quæ euenire possunt, accipiamus: eò quod nulla res æquè homini cõducatur, ac mortificatio propriae voluntatis. Hucuse; ille sanctus, qui vti à Deo eximie illustratus, experientiaque longa edoctus probè intelligebat efficaciam huius exercitationis.

Illud verò, quod beneficio mortificatae propriae voluntatis præcipuè acquiritur, est cõformitas nostræ voluntatis cum diuina, nihil enim impedit, nos ab explenda Dei volutate, nisi voluntas propria, quare hac per mortificationem subacta, anima ab omnibus impuris affectibus, quibus res caducas sectabatur, & suis commodis inhiabat.

Q 2

ex-

expurgatur, atque directò & purè in omnibus quærit Deum, sanctissimamq; eius voluntatem. In quem sensum dixit S. Augustinus: *Nutrimen um charitatis est imminutio cupiditatis*, id est, inordinati affectus erga res temporales. *Perfectio verò caritatis, nulla cupiditas*. Hac enim imminutio fit per mortificationem proprię voluntatis. O dulcissimos fructus, ô præmia admiranda eorum, qui suę voluntati dominantur. Hac sunt cœlestia promissa à Christo per D. Ioanem data, dum ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitę, quod est in paradiso Dei mei*. Fructus ligni vitę, qui est Christus in medio Ecclesię existens, est diuinus amor, quo animę sustentantur & delectantur. Et rursus dicit *Vincenti dabo manna absconditum*. Hoc manna est beata pax & tranquillitas conscientię, qua fruuntur omnes, qui strenuè mortificationi student.

CAPVT VI.

De inordinatione proprię voluntatis circa honores & laudes humanas, & quam magno beneficio à Deo afficiantur, qui huic vitio mendentur.

Inter